

pe per actionem injustam, vel per actionem justam, aut ex se indifferentem. Participans in actione injusta tenetur restituere, vel totum, si ad totum concurrat, vel partem, si solum ad partem damni concursus præbeat: quia vere est causa efficax talis damni: ut qui latronem committatur, ut eum defendat, qui ei arma ministrat: artifices claves falsas conficientes, qui portas reserat, explorator assistens, ut eum moneat, qui terga defendit, servi usurariorum in usuris deservientes, res furatas custodientes, aut vendentes pro latrone, vel eementes ab eo; si enim non essent, qui res furatas emerent, tot latrones in republica non essent. Omnes hi, & alii similes comprehenduntur sub verbo *participans*.

103. Verum, qui per actionem ex se indifferentem concurrat ad damnum, vel hoc efficit sponte, vel ex metu gravi: si primum restituere debet magis, vel minus juxta concursum majorem, aut minorem ad malum: quia voluntarie participat in peccato injustitie. Si secundum, excusatur a culpa, & onere restituendi, ut famuli mere amanuenses usurariorum, qui solum scribunt, aut numerant pecunias ex metu gravis damni: non enim proxime, sed remote, aut materialiter cooperantur ad usuras, proxima enim, aut formalis cooperatio ad malum ex nulla causa apponi licite valet.

104. Denique *participans in præda*, vel participat bona fide, vel mala; si bona fide accepit aliquid de furto, debet illud reddere domino, si extat. Si vero eadem fide consumpsit, id in quo factus est ditior. Si mala fide participavit, totum, vel pretium ejus, quod accepit, restituere tenetur ratione rei acceptæ, juxta superius stabilita de possessore bonæ, vel malæ fidei.

#### PUNCTUM XIV.

##### De causis negative concurrentibus ad damnum.

105. *Mutus, non obstant, non manifestans* concurrunt negative ad damnum alterius, quando ad illud impediendum tenentur ex justitia, ex contractu, ex officio, aut munere, esto manus contra

eorum voluntatem sit eis a Superiori legitimum impositum, tenentur enim obedire, ac consequenter manus sibi impositum diligenter obire. Unde tenentur restituere, qui mala debent impedire loquendo, obstando, & manifestando, dum ita non impediunt, nisi aliqua justa causa alias excusetur: ut gubernatores, judices, ministri publici, duces belli, medici, chirurgi, parentes, tutores, curatores, nautæ, custodes, & similes, quibus incumbit ex justitia corrigere, coercere, monere, clamare, obstare, & impedire damna.

106. Qui autem solo titulo caritatis ea impedire tenentur, esse peccent contra caritatem, si non impediunt, cum possint, non tamen contra justitiam, nec restituendi onus subeunt; quia, ut sæpe dictum est, obligatio restitutionis solum ex delicto contra justitiam consurgit. An vero si ex odio, & animo pravo mali alterius omittant impedire, obnoxii sint restitutioni? P. Concina inquit: *Quando solo caritatis titulo devincti sunt, ad nihil tenentur. Lib. 2. de just. diss. 2. cap. 9. num. 40.*

107. Verum, si ipse cum aliis consequentiam doctrinæ observare velit, affirmative de omnibus questionibus respondere debet. Nam alibi ipse cum aliis obligat ad restituendum advocatum, medicum, & quemlibet alium, qui apponens diligentiam debitam, & quam prudentes illius artis apponere solent, omittit animo nocendi adhibere diligentiam prudentissimam, ex qua omissione sequitur damnum: eo quod diversitas animi diversam parit obligationem. Et licet advocatus, aut medicus non teneatur ad majorem diligentiam, alius tamen habet jus, ne ex animo nocendi omittatur. Cur igitur in presenti, & in omni eventu non habet quemlibet idem jus? Si namque mutus, aut tacens contra caritatem non influit in damnum, nec omittens id, ad quod solum ex caritate tenetur, influit in illud. Disparitas vix percipi, aut inveniri valet; ideo de omnibus idem est tenendum: nempe ad restitutionem non teneri.

108. Sed quid dicendum de illis, qui solum ex caritate debent damnum impedire, recipiunt tamen pecunias, ne clamant,

ment, impediunt, aut manifestent? R. Quod si pecunia accipitur, ne pateat delictum, postquam commissum est, nec imminet damnum novum damnificato, nulla adest obligatio restituendi in accipiente: nullum enim præbet influxum ad damnum. Si vero ita accipias, ut inde fur animosior fiat, vel cum pacto non clamandi, ex quo securior latro redditur, teneris ad restituendum; evadis enim comparticeps, seu concursa moralis damni inferendi.

109. Inq. 1. An custodes montium, agrorum, aut vinearum, & alii a republica, seu Principe constituti, non rituum munus obeuntes, nec damna impediunt, ea restituere teneantur? R. affirm. quia, & peccant graviter contra justitiam, & sunt causa damni domino, seu republicæ illati. Unde si non manifestant piscatores, venatores, defraudatores gabellarum, tributorum, aut vectigalium, aut asportantes merces prohibitas, restituere debent gabellas, tributa, vectigalia, aut alia damna ex eorum culpabili omissione secuta. Non autem tenentur manifestare cum periculo vitæ, aut damni gravioris suo stipendio, aut commodo ex suo munere deportato: nec tenentur, si quid pauperi semel, aut raro extrahere dissimulent; debet enim damnum esse notabile; nam sicut in jure dicitur, *de modico non curat prætor*, nec Rex est adeo rigidus exactor, præsertim cum pauperibus, & similibus personis. Sed heu! Pauperes puniuntur, & divites simulantur.

110. An vero non solum peccent graviter dicti custodes, & teneantur damna domino secuta restituere, sed etiam poenam, quam rei accusati luerent, dissident Theologi. Communior sententia negat: quia talem poenam non tenentur reus solvere, nisi post sententiam judicis, erg. nec custos tenentur eam solvere ante sententiam, nisi alias prædictæ omissiones in pactum essent deductæ, vel aliæ circumstantiæ ad solutionem adstringant. Custodes vectigalium in omnium sententia debent solvere pretium, quod pro transferendis mercibus a mercatore esset solvendum: si vero merces sint omnino prohibitiæ, & negligent eas denunciare, debent saltem custodes solve-

re stipendium illius diei, quo suo muneri non satisfaciunt.

111. Inq. 2. An Confessarius non moneans poenitentem, ut restituat, teneatur restituere? R. quod si positive influat in omissionem poenitentis, dicens illi falso non teneri ad restituendum, quando revera tenetur, debet petere licentiam ad loquendum de confessione, qua sponte data a poenitente, tenetur aperire illi veritatem, ac obligationem restituendi; alias ipse debet restituere. Si autem mere negative se habuit, probabilis putamus non teneri: quia Confessarius, sive Parochus, sive alius non tenetur invigilare ex officio bonis temporalibus, ut custodes mercium, sed tantum spiritualibus poenitentium, erg. quando non influunt positive ad omissionem restitutionis, ad illam non obligantur. Si autem ex sua taciturnitate poenitens moveretur ad non restituendum, teneretur, vel aperire veritatem, vel ad restitutionem.

112. Inq. 3. An servi, vel famuli videntes domesticos, sive extraneos subripientes aliquid ex domo domini, ac tacentes restituere teneantur? R. quod si videant extraneos domum ingredi ad furandum, & non impediunt, vel taceant, tenentur ad restituendum damnum ab eis illatum, quia ex justitia ratione famulatus censentur obligati ad res domini ab injuriis exterorum tuendas. Idem est, si alios famulos, seu domesticos videant rapere res, quæ ipsis specialiter sunt creditæ, & non contradicant, quia semel quod res peguliariter curæ famuli demandata est, debet ex justitia ejus custodiri invigilare. Si vero res a domesticis ablata famuli curæ non sint specialiter creditæ, quamvis peccet tacendo, ad restitutionem non adstringitur, quia non tenetur ex justitia ad res domini contra domesticos tuendas. Ex fidelitate tamen debent monere dominos, si videant bona etiam communia a conservis suis insumi, prodigi, aut dilapidari.

#### PUNCTUM XV.

##### De ordine restituendi a cooperantibus in damnum.

113. Inq. 1. Quem ordinem observare de-



debeant in restitutione cooperantes in damnum? R. Quod quando plures ad eandem rem furandam concurrunt, primus omnium debet restituere ille, qui rem apud se habet, vel in se, vel in æquivalenti: quia iste tenetur ex re accepta, si extat; si vero non extet, ex injusta actione, ex qua solus percepit totum commodum. Isto autem integre restituente ad nihil alii tenentur. D. Thom. loco cit. a. 7.

114. Si nihil ablatum sit, sed damnum irrogatum, ut in devastatione, seu incendio segetum, primus tenetur principalis, qui ut superior jussit damnum fieri: deinde ille, qui induxit ad malum suo nomine, vel in sui gratiam faciendum: exinde executor, quia executor post mandantem, & inducentem in sui gratiam malum fieri, est causa principalis; reliqui sunt causæ accessorizæ, & secundariæ cooperantes cum illo. Unde, executore restituente, ceteri, excepto mandante, nec ipsi, nec domino quidquam restituere debent, nec tenentur. Igitur causæ principales sunt mandans, ut superior, inducens in sui gratiam, & executor. Istitis non restituentibus, tenentur secundariæ positive influentes per consilium, consensum, palpationem, recursum, aut participationem. Si unus ex istis totum damnum satisfaciat damnificato, reliqui huic nihil reddere debent, tenentur tamen refundere illi, qui plene satisfecit.

115. Inq. 2. An inter causas secundarias aliquis ordo in restituendo servandus sit? R. neg. quia omnes æque primo tenentur plus, minusve juxta quantitatem influxus. Si autem una influat media alia, jam illa esset velut principalis, quæ proinde primo loco teneretur, ut si quis moveret adulatorem, aut receptatorem. Cæterum quando omnes solum ut secundariæ influunt in damnum movendo executorem, in hujus defectu æqualiter tenentur restituere singuli suam partem, vel totum in solidum, si alii nolint, aut nequeant.

116. Inq. 3. Quo loco, & ordine tenentur restituere causæ privativæ? R. causas privativas teneri post positivas, & solum in defectu eorum, ut custos in defectu asportantium merces prohibitas:

quia sicut causæ positiva prior est in fluxu, ita priorum locum debet habere in restitutione. Positivis vero nolentibus, aut non valentibus, succedunt negativæ; quæ in solidum tenentur restituere juxta majus, aut minus debitum damna illa impediendi; servari tamen debet talis ordo, ut primo loco teneantur superiores, qui impedire neglexerunt: secundo custodes rerum: tertio testes, qui juridice interrogati veritatem celaverunt: quarto qui ex justitia tenebantur mone- re, aut dare consilium rectum, & tacuerunt. Verum observari debet, quænam ex his causis arctius, & immediatius obstricta erat ad damnum impediendum, potest enim contingere custodes negligentes prius teneri, quam magistratus, aut econtra juxta cujusque pacta, & obligationes.

## PUNCTUM XVI.

Quando omnes prædictæ causæ teneantur in solidum restituere.

117. Inq. 1. An quando plures concurrunt ad idem damnum, teneantur restituere in solidum? R. sub distinctione; vel enim concurrunt ad idem damnum divisibile, vel ad individuum, seu indivisibile: quando diverso tempore concurrunt absque communi assensu ad idem damnum divisibile, non tenentur in solidum, sed singuli ad suam partem, ut quando plures eandem vineam ingressi, singuli partem abstulerunt, vel ex eodem thesauro singuli decem aureos subripuerunt: quia unusquisque solum est causa partialis damni tam partialitate effectus, quam causæ, non enim conspirant ad illud incitando, aut movendo alios: igitur solum tenentur restituere singuli suam partem. Si autem aliquis, ut superior, aut principalis motor alios concitaret, hic ad totum in solidum teneretur, quia ipse est causa moralis totius damni. Atque idem teneas, quando plures simul concurrunt scienter ad illud causandum, quod enim sit divisibile, aut individuum, de materiali est. D. Thom. q. 62. a. 7. ad 2.

118. Quando pariter plures concurrunt ad idem damnum individuum, ut ad

eum-

eundem hominem necandum, ad eandem domum incendendam, ad eandem navim trahendam, ad eandem actionem injustam, ad eandem viatorem spolian- dum, omnes tenentur restituere in solidum: quia licet physice a singulis forte partialiter causetur effectus: moraliter tamen totus a quolibet procedit; omnes enim quasi una manu ad idem opus indivisibile concurrunt: proindeque omnes in solidum ad totum damnum adstringuntur. Hoc in casu conveniunt omnes doctores, licet nullus fur sit excusator aliorum; cur igitur in priori non idem asserunt, cum vix ulla disparitas appareat in utroque?

119. Objic. 1. Obligatio restituendi est juxta causalitatem in damnum, sed in casu questionis causalitas est partialis, omnes enim concurrunt ut causæ partiales, erg. solum partialiter tenentur restituere. R. quod restituito est, non juxta causalitatem physicam, sed moralem. In casu autem questionis, licet causalitas physica sit partialis, causalitas tamen moralis reputatur totalis; ex quo enim omnes simul conspirant ad idem damnum, totum singulis imputatur, unde ad totum singuli tenentur.

120. Objic. 2. Quando plures in bonum trahunt eandem navim, non debetur singulis idem præmium, erg. nec quando illam in malum deferunt, debetur singulis idem damnum. R. neg. conseq. quia plus requiritur ad præmium, quam ad supplicium, sicut plus requiritur ad meritum, quam ad demeritum: nam bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Præmium datur hic juxta causalitatem physicam; supplicium autem juxta moralem.

121. Inq. 2. An si dubites, utrum causa principalis restituerit, tenearis tu, qui solum in ejus defectum adstringeris, & idem quando dubitares de sociis, & tuis concausis æqualibus? R. quod absolute loquendo, teneris ad restitutionem totius: quia constat de damno, & de obligatione, erg. tibi incumbit probare, esse satisfactum; quamdiu igitur non constat de satisfactione, debes eam exhibere. Si autem tales adessent conjecturæ, ut prudenter presumere posses principalem, & socios restituisse, sufficeret tuam

Tomo I.

partem restituere.

## РУКСТУМ XVII.

De acceptis ob turpem causam.

122. Inq. 1. An conventiones, seu pacta onerosa de re peccaminosa jure naturæ sint valida, aut obligent ad sui adimpletionem? Ante resolutionem duo ut certa supponuntur. Primum, quod nulla promissio, conventio, & pactum etiam juratum ob turpem causam initum, nec jure naturæ, nec positivo obligat, antequam scelus committatur: quia talis promissio, utpote ad malum provocans, neminem obligare valet: implicat enim aliquem posse obligari ad peccandum. Secundum, quod non datur obligatio solvendi pretium promissum ob turpem actum, si hic ex parte alterius appositus non est; imo, si quid acceptum est, debet restitui opere non impleto. Quibus suppositis.

123. R. Jure naturæ valida sunt pacta onerosa de opere illicito, obligantque, illo appposito, ad solvendum pretium initum, quia recipiens tenetur ad ejus restitutionem. Prob. Primo: quia licet alter in contractu oneroso implevit promissum, par est, ut alius solvat, quod promiserat, erg. si ille apposuit opus, esto illicitum, æquum est, ut ei solvatur pretium: quod enim licitum, vel illicitum sit, de materiali est ad pretium: quia etiam res illicita est pretio estimabilis ratione laboris, & periculi, cui exequens se exponit. Secundo: quia omnis promissio implenda est, dum licite impleri valet; sed positio alterius opere illicito, promissio impleri licite valet, erg. debet. Tertio: quia si femina consentiat in actum turpem sub promissione matrimonii, tenetur vir eam ducere, erg. positio opere illicito, validus est contractus, & obligat ad sui adimpletionem. Unde, positio homicidio, adulterio, fornicatione, aut alio actu malo, obligat jure naturæ contractus, & recipiens pretium pro eo, potest illud retinere. Meretrix turpiter facit, quod sit meretrix: non tamen turpiter accipit, cum sit meretrix. Unde, & mulier potest sibi restituere, quod ei datum est, concludit D.

Ssss

Thom.



Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2.  
124. P. Concina asserens communem hanc esse Theologorum sententiam, illam tamen deserens, oppositamque amplectens, sibi videtur hoc in elucubabili argumento eam probare: *Stipulatio ad malum non obligat ante factum, erg. nec post factum: quia post factum non datur nova conventio, erg. vel obligat ex conventio- ne factum precedente, aut ex nulla.* Sed tenetur Concina sibi respondere; instatur enim manifeste argumentum in conventione copulæ habitæ sub spe matrimonii, quam obligare in conscientia, nequit ipse negare. Unde omnes respondere debemus conventionem illam esse velut conditionalem, quæ solum obligat, posita conditione.

125. Quod autem addit posse quidem meretrices retinere pretium corporis, non ut pretium, sed ut poenam scortatorum, arbitrarie dicitur, quia meretrices ipsæ eadem, aut majori poena dignæ sunt. Imo suis positionibus non parum adversatur. Nam in dissertatione de scandalo recedens a D. Aug. & D. Thom. contendit impugnare permissionem meretricum in orbe christiano; hic vero adstruit leges permittere scorta, & meretrices ob majora mala vitanda. Profecto actio, seu promissio jure naturæ invalida nunquam legibus approbatur, licet quandoque actio, seu promissio valida jure naturæ legibus irritetur, igitur promissio, aut conventio legibus permissa, jure naturæ non est invalida, licet contrarium se convincere putet Concina, tom. 7. pag. 88. & seq.

126. Sed manifestius innotescit ejus in consequentia, quando agens de restitutione faciendâ ob stuprum dicit: *illud etiam advertendum occurrit, quod si virgo deflorata aque, aut nubere, aut profiteri religionem possit, ac si deflorata non fuisset, tunc ad nihil deflorator tenetur, nisi pactum processisset dandi rationem summam: quia in hoc casu, ratione promissionis solvendum debitum est, non ratione damnorum, cum nulla supponantur.* Non possent optari verba melius confirmantia nostram sententiam; ex eis enim legitime inferuntur hæc quatuor consequentia. 1. erg. promissio de actu turpi, hoc posito, valida est. 2. erg. im-

pleri debet. 3. erg. deflorata summam sibi promissam, & traditam ob actum turpem retinere valet. 4. erg. sententia communis (quam ex D. Thom. defendunt Salmanticenses) vera est.

127. Aliis feminis, quæ meretrices non sunt, sed honestæ, sive virginis, sive viduæ, aut Deo per votum castitatis sacratæ denegatur legibus actio petendi pretium sui corporis in judicio; tamen communis sententia concedit etiam ipsis posse accipere in foro interno tale pretium, supposito opere illicito: dummodo illud accipiant a potente illud dare, & non a filio familias, minori, servo, nec a religioso; isti enim nequeunt illud dare, nec ipsæ ab eis illud accipere. Similiter, si meretrix, aut alia dolo, aut fraude fingens se virginem, aut nobilem, cum talis non sit, aliquid a viro extorqueat ultra justum pretium, restituere tenetur. Secus si absque fraude, & dolo, blanditiis, illecebris, facetiis, aut illectamentis decipiens virum ab eo subtrahat: caveat enim sibi vir, & ne se decipi permittat, meretricumque technas non solum fugiat, sed & horreat.

128. Inq. 2. An femina retinere sibi valeat data ab amasio ad consequendum ejus, consensum? R. quod donata femina a viro ad extorquendum consensum possunt ab ea retineri, etiam non secundo corporis usu, si absque pacto ea donavit, quia solum fuit datio gratuita ad movendum voluntatem, erg. absque iniustitia potest retineri. Difficile tamen excusabitur mulier a peccato scandali. *Quia matrona non est casta, quæ, cum rogatur, munera accipit.* Ut ex D. Hieron. inquit D. Thom. lib. 4. de erudit. Princip.

129. Quidam Neoterici contra Salmanticenses asserens oppositum, dicit: *Ego restituendum totum assero donatori ad scandalum vitandum.* Nos vero asserimus, forte rectius, distribuendum pauperibus, non restituendum donatori, tum quia amisit jus ad illud, tum in poenam sui delicti, ac prave intentionis. Circumstantiæ tamen inspicendæ sunt; nam si femina pauper sit, & non assueta hujusmodi acceptionibus, vel donum non sit magni valoris, retinere licite valet.

PUNC-

## PUNCTUM XVIII.

*Alia dubia circa acceptionem ob turpem causam.*

130. Inq. 1. An prodiga promissio facta femina ob usum corporis sit implenda? R. quod, supposito pravo opere, si res promissa sit partibilis, impleri debet reducendo pretium ad justos limites: ita Soto, Bañez, & communiter Theologi, quidquid oppositum dicat Concina. Si res impartibilis sit, non est implenda, quia datio prodiga est illicita, & nemo potest teneri, seu obligari ad illicitum. D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 7.

131. Nec refert, quod promissio matrimonii facta a viro nobili puellæ virginis inferioris conditionis, ut se permittat ab eo deflorari, debet impleri; sed talis promissio est prodiga, erg. promissio, esto prodiga, implenda est. R. enim quod si talis promissio impleri debet, prodiga non est: quia honestas virginis, aut pudicæ feminae pluris habetur omni bono temporali. Vid. tract. 34. n. 13.

132. Advertat prudens Confessarius circa omnia præfata, quod aliud est debitum justitiæ, aliud debitum honestatis; propter quod, quando hujusmodi casus occurrant, pendere debet circumstantias dantis, seu promittentis, & accipientis, & juxta eas vel cogere ad dandum promissum, vel coercere illum: accipientem pariter obligare ad distribuendum inter pauperes pretium, si pauper non sit ipsa, tum in poenam peccati commissi, tum in detestationem similia committendi.

133. Ex jure positivo quidquid accipitur contra leges reprobantes actum, seu lucrum, restituendum est, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. dicens: *Apud illos, qui sunt hujusmodi legibus obstricti, tenentur universaliter ad restitutionem, qui lucrantur.* Quod præcipue verum tenet in regno Hispaniæ, ubi iudices, & alii ministri justitiæ coguntur restituere munera accepta sive pro justa, sive pro injusta sententia, ut dice-mus fusius tract. 21.

134. Pro actu igitur, quem quis de-

bet ex justitia exercere, vel omittere, nihil valet accipere: ut Iudex pro justa sententia ferenda: vel ne proferat injustam: testis, ut verum testetur, aut ne falsum in judicio dicat, & similes, si quid recipiant, restituere debent. Recipientes autem aliquid pro actu ex aliis virtutibus debito non tenentur restituere; præcipue si aliquem laborem, seu periculum in eis præstandis subeant. Accepta pro actione, seu omissione cedente in commodum tantum accipientis, sive spirituale, sive temporale, retineri licite valent; dantur enim gratis ad movendam voluntatem, ut quæ dantur pueris, ut scholam adeant, ut missam audiant, jejunium observent, vel adultis, ut a sociis suspectis, vel a delictis absteant.

135. Denique accipientes aliquid pro eo, quod ex caritate præstare debent, ut medici, chirurgi, advocati, & similes, esto vi justitiæ restituere non teneantur; tamen in poenam suæ omissionis cogendi sunt a Confessario, ut illud in pauperes distribuant, nisi ipsi pauperes sint, aut aliquem pecuniarem laborem, periculum, seu expensas in alterius beneficium subierint; vel nisi quidquam eis donetur gratuito, aut in remunerationem operis facti ex caritate.

## PUNCTUM XIX.

*De loco, & expensis, quibus restitutio fieri debet.*

136. Inq. 1. Quo loco fieri debeat restitutio? R. vel restitutio provenit ex re accepta, vel ex injusta actione, vel ex contractu. Si provenit ex re accepta, sufficit, quod fiat, ubi res habetur, aut si mittenda sit ad dominum absentem, hujus expensis faciendâ est, quia nullum damnum subire debet possessor bonæ fidei ex redditione rei alienæ. Quare movendus est dominus, & ejus expensis deferri res ad ipsum debet. Verum, si postquam aliena esse agnoscitur, alio transferatur a possessore antea bonæ fidei, hujus expensis mittenda est ad dominum, deductis illis, quas impendere dominus debuisset in asportatione ex prior loco: nisi possessor alio detulerit, ac periret, vel judicans negotium domini-



minui facere in rei traslatione. Si dominus adeo absens fuerit, ut nequeat facile admoneri, conservari res debet, donec occurrat monendi, aut restituendi occasio; vel pro varietate circumstantiarum tradi potest alicui pio loco servanda, vel consanguineis domini, vel si est parvi valoris in pauperes distribui.

137. Si restitutio proveniat ex injusta actione, facienda est expensis debitoris in loco, ubi dominus rem suam esset habiturus, quia hic non debet pati dispendium ob alterius delictum. Quando vero majores sumptus essent faciendi in asportatione rei, quam res ipsa valet, circumstantiæ inspiciendæ sunt. Nam quando dominus dives est, aut non multum indiget sua re, & debitor est pauper, poterit differre restitutionem. Tamen absolute loquendo, fur, sive injustus retentor tenetur cum suo gravamine rem domino restituere, & sibi imputet, si expensæ graviores ad hoc necessariae sint. Si creditor, seu dominus rei alio sponte se transiit, detrahi debent expensæ, quas in rei suæ asportatione facere debuisset.

138. Tandem, si restitutio proveniat ex contractu, facienda est in loco, ubi contractus celebratur, nisi aliud in contractu exprimat: quia cum ille sit utriusque locus communis, censetur ab utroque designatus. Aliquando tacite designatur locus creditoris, ut, si in itinere a Petro postules pecuniam mutuatam, solvi debet, non in itinere, sed in loco Petri, qui tacite censetur assignatus. Quando alter post initum contractum alio discedit; tradenda est res expensis illius, in cuius commodum celebratus est contractus. Igitur mutuum afferens commodum accipienti, hujus expensis reddendum est; depositum vero expensis deponentis, istius namque commodum deserit. Semper ergo attendi debet, ut æqualitas servetur, restitutioque fiat in illo loco, qui naturæ contractus correspondeat.

139. Inq. 2. An restituens per alium teneatur iterum restituere, si res ad manus domini non perveniat? Ante resolutionem quatuor ut certa supponenda sunt. *Primum*, quod si per nuntium pe-

riculosum rem domino mittas, teneris in casu questionis iterum restituere, quia ex tua culpa, & negligentia res perivit. *Secundum*, quod, si nuntius a creditore sit designatus, sive ejus consensu a te electus, liber es a nova restitutione: quia tunc, sive fidelis, sive infidelis sit, gerit personam creditoris, proinde ipsi, non tibi res perit. *Tertium*, quod si creditor tuo arbitrio relinquat, quod eligas, quem malueris ad rem sibi mittendam, & tu eligas nuntium reputatum fidelem, ad amplius non teneris, propter eandem rationem: consensus enim præstitit ad eum eligendum. *Quartum*, quod idem dicendum est, quando ex imperio Judicis eligis talem portatorem. Quare dubium versatur, quando debitor eligit portatorem fidelem, vel reputatum ut talem. Circa quod:

140. R. 1. Quod tenetur iterum restituere fur, sive debitor ex delicto, qui per nuntium rem creditori mittit, si ad eum non perveniat. Prob. *Primo*; quia restitutio obligat ad ponendam æqualitatem, sed quædam res non pervenit ad manus domini, non ponitur æqualitas, erg. hæc apponenda est nova restitutione. *Secundo*, possessor malæ fidei tenetur, etiam de casu fortuito, ergo esto fortuito pereat res missa, tenetur restituere denuo. Ob hanc rationem, esto pecuniam paratam haberet fur in mensa, ut eam restitueret, & casu periret, aut subriperetur, adhuc tenetur restituere, erg. idem in præsentem.

141. Objic. 1. fur non tenetur per se ipsum immediate restituere, nec convenit, erg. sufficit, quod per alium rem mittat creditori: maxime per nuntium fidelem, ut Parochum, aut Confessarium. Respondent plures nihil aliud requiri, ut fur liberetur a peccato injustæ detentionis, requiri tamen, ut apponat æqualitatem: hi autem non valde consequenter procedunt, dum alias præceptum restituendi non affirmativum, sed negativum propugnant: sed favet nobis illud affirmativum asserentibus. Igitur, quædam æqualitas non ponatur, fur denuo restituere tenetur.

142. Objic. 2. Creditor habet consensum tacitum, ut sibi res per nuntium fidelem mittatur, erg. qui hoc agit, sua obli-

obligationi satisfacit. R. Creditorem vel le, ut res sibi per nuntium fidelem mittatur, ita ut ad suas manus perveniat: Quædam vero non pervenit, manet cum jure ad illam, & debitor cum obligatione eam restituendi.

143. R. 2. Quod si res restituenda mittatur per virum, aut nuntium fidelem a possessore bonæ fidei, qui eam invenit, aut apud se habeat, liber est a nova restitutione, quia non tenetur ad eam, nec ex injusta actione, ut supponitur, neque ex re accepta, cum eam non habeat, nec ex casu fortuito teneatur, sicut fur.

144. R. 3. Quod circa debitum ex contractu mutui, commodati, aut alterius distinguendum est. Nam res, quæ in individuo restituenda sunt, ut hic equus, hæc ovis, hæc vestis, hæc pecunia pereunt domino, nec debent denuo restitui, si semel mittantur per nuntium fidelem. Res autem, quæ sunt restituendæ in genere, ut pecunia indeterminata, vinum, frumentum, aut oleum pereunt debitori; proindeque esto mittantur per nuntium fidelem, debent iterum restitui, si non perveniant ad dominum. Unde, si mittas ad amicum equum ab eo commodatum, & simul pecunias ab ipso mutuo acceptas, & percant in via, aut subripiantur, teneris restituere denuo pecunias; secus equum, quia equus erat domini, & huic perit: pecuniae erant tuæ, & tibi pereunt, quia res perit domino.

## PUNCTUM XX.

De illis, quibus restitutio fieri debet.

145. Inq. 1. Cui sit facienda restitutio rei ablata? R. fieri debere ei, a quo fuit ablata, si justo titulo eam possidebat, licet ejus dominus non esset: quia restitutio tendit ad ponendam æqualitatem, quæ proinde ibi debet reponi, ubi ablata est: Unde si auferas rem ab eo, qui eam possidebat in depositum, commodatum, pignus, vel administrationem, eidem debes restituere, nisi nullum dispendium inferres possessori, illam domino restituens. Si vero subripias rem ab eo, qui nullo titulo justo eam possi-

debat, & hoc certo constet, debes eam domino reddere. In dubio injusta possessionis restituenda est possessori: quia in dubio non debet privari sua possessione. Quando res ablata ab injusto possessore traditur domino, monendus est hic, ne iterum repetat, & ille, ne denuo restituat, aut in mala fide permaneat. Similiter accipiens rem contractu lucrativo a possessore injusto, debet eam tradere domino.

146. Verum si contractu oneroso eam a fure acceperit, poterit illam reddere furi, ne pretium amittat, si aliter recuperare illud non valeat. Fure autem non comparente, debet domino tradere, etiam cum jactura pretii, ut supra diximus. Quando dominus rei mortuus est, facienda est restitutio hæredibus, ita ut, si fiat pauperibus, hæredibus iterum fieri debeat. Si auferas aliquid a religioso, filio familias, uxore, aut minoribus, debes reddere monasterio, patri, viro, seu tutoribus, in quibus residet dominium, seu administratio rei ablata: nisi sit ex bovis, quorum dominium, administratio, seu usus apud religiosum, aut ceteros prædictos reperitur.

147. Inq. 2. An restitutio facienda sit domino, si ipsi, vel alteri futura est nociva? R. neg. quia fieri debet in commodum creditoris; unde si arma Petri habeas, & ille in suam, vel aliorum perniciem ea a te petat, debes, tum ex caritate, tum ex justitia ea pro tunc denegare: alias obnoxius eris restitutioni damnorum inde sibi, vel alteri obvenerit: nisi ipse æquale damnum passurus esses illa retinendo; in hoc enim casu non teneris vitare alienum damnum cum detrimento proprio. Hoc asseritur ab omnibus, & etiam a Concina, qui alias negat posse rescindi contractum cum fure, ad vitandum æquale damnum proprium in recuperatione pretii. Hoc idem exemplum, ab omnibus assertum, probat cooperationem remotam ad peccatum alterius, saltem ex metu mortis, non esse peccatum, quod amplius patet ex his, quæ subjicimus. D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 1.

148. Inq. 3. An fieri debeat restitutio cum pravisione, quod dominus ea ad peccandum sit absurus? R. Quod in hoc



casu differri debet restitutio ex caritate, non ex iustitia; ut si pecunias quis postulet ad scorta, ad aliae illicita, non teneris ex iustitia denegare, quia denegatio hac non est medium proportionatum ad peccata vitanda, sed correctio fraterna: & quilibet est dominus suarum actionum spiritualium. Ex caritate autem debet differri solutio, quia quisque tenetur ex caritate vitare perniciem animæ proximi, dum commode valet. Verum si absque dispendio proprio non possit, minime tenetur consulere alteri, libere peccare volenti. Si peccatum, quod timetur, sit non solum ipsius peccantis, sed alterius tertii, arctius tenetur quisque illud vitare: non tamen cum gravi detrimento proprio. D. Thom. ibidem.

## PUNCTUM XXI.

De restitutione rei ablatae, cujus dominus ignoratur.

149. Inq. 1. Cui fieri debeat restitutio rei ablatae, quando ignoratur, aut est incertus dominus? R. Quod circa rem alienam debet in primis fieri prudens inquisitio, ut vero domino, vel ejus hæredibus restituatur. Illo autem non invento, si dubitetur an sit Petri, aut Pauli, pro rata dubii inter utrumque dividenda est. Si vero penitus ignoretur, omnia debita ex delicto restituenda, debent pauperibus distribui, vel piis operibus applicari. Ita D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3.

150. Inq. 2. An, præciso jure positivo, ex jure naturæ debeantur talia bona pauperibus applicari? R. negative: quia pauperes non sunt hæredes legitimi domini ignoti: alias nec Pontifex, nec Princeps aliquis posset talia bona alteri applicare, cujus oppositum videmus. Igitur bona incerti domini jure naturæ devolvuntur ad statum pristinum, in quo erant ante divisionem, eorumque administratio transit ad Pontificem, Regem, seu republicam: qua ratione valent jure Pontificio, seu Regali applicari urgentioribus necessitatibus, nempe pauperibus, ut infirmioribus membris republicæ. Hinc tamen non inferas, valere quemlibet bona incerti domini, fide bona posses-

sa, sive ex contractu licito habita, sibi applicare, eo quod ad priorem statum sint devoluta; hoc enim communi sensui doctorum repugnat.

151. Inq. 3. Quibus pauperibus distribui debeant bona incerti domini? R. Quod licet sit optimum consilium pauperioribus ea tradere: sufficit tamen vere pauperibus ea distribuere. Quando autem ali cui communitati, aut illius notabili parti facta est injuria, ignoranturque certi domini, restitutio facienda est communitati, ut hæc inter partes lasas modo convenientiori distribuatur. Quando vero damnum illatum est alicui oppido, seu majori ejus parti minutis venditionibus, & ignorantur determinatæ personæ, debet restitutio fieri vilis vendendo. Consensus Episcopi, seu Parochi ad distribuenda præfata bona incerta inter pauperes non est de præcepto, bene vero de consilio; ipsi enim sunt pauperum tutores. Utinam illos, ut suos præcipuos creditores respiciant, foveant, ac tueantur!

152. Super hæc bona incerta potest fieri compositio per Bullam, non per juniores suggestam, ut perperam ait Concina, sed a summo Ecclesiæ Præsule concessam, in qua datur facultas componendi super omnia bona, quorum creditor certus non invenitur, ut suo loco fusius dicemus.

153. Inq. 4. An solutione facta creditori mei creditoris, liber sim ab alia facienda? R. Quod, si ex eadem causa debitum oriatur, omnes affirmant: ut si ex locatione domus debeo tibi centum, & ex simili locatione debes totidem fratri meo solvenda. Quando autem debita ex diversa causa ortum ducunt, probabilius est non satisfieri contra voluntatem creditoris solvendo hujus creditoris, quia creditor jus habet, ut debitor sibi solvat, erg. pervertit hoc jus, qui contra ejus voluntatem non sibi, sed suo creditori solvit. Non inficiamur, quod, adstante justa causa, aut prudenti motivo ad ita faciendum, possit, saltem post factum, subsistere opinio contraria.

## PUNC-

## PUNCTUM XXII.

De ordine in restitutione servando.

154. Decisio presentis difficultatis plus ad juristas, quam ad theologos spectat; ex majori enim parte a legibus, & juribus, tum communibus, tum municipalibus pender. Quare cauti sint theologo, oportet, in hujusmodi dubiis decidendis. Nihilominus explicandus nobis est saltem levi calamo ordo, qui servari debet in debitorum solutione, quando debitor omnibus creditoribus satisfacere nequit: si enim sufficienter omnibus solvere valet, non est necesse assignare, cui prius, aut posterius solvat: cum singulis integram satisfactionem reddere possit, ac debeat. Sed ante omnia:

155. Inq. 1. Quotplex sit differentia creditorum, ac hypotecarum? R. Quod aliqui creditores sunt, qui jure naturæ aliis præferri debent absque respectu ad leges: alii solum ex lege præferuntur, & dicuntur *privilegiati*: alii nullam præferentiam sortiuntur, sed æquale jus ad bona debitoris habent. Præterea creditores, alii sunt *chirographarii*, seu *personales*, illi nimirum, qui in personam directe, in bona vero debitoris indirecte actionem habent. Alii *hypotecarii*, qui in personam, & bona jus directum habent. Hypotheca autem est duplex, alia *facita*, ut illa, qua bona tutoris, & curatoris hypothecata censentur pro pupillis, & minoribus, & bona mariti pro dote uxoris. Alia *expressa*, qua etiam est duplex, alia *generalis*, devinciens omnia bona debitoris habita, & habenda: alia *specialis*, afficiens rem determinatam, ut hanc domum, hanc vineam. Hypotheca generalis non transit cum re ad alium possessorem; specialis vero semper transit cum re, quamvis debitum non extinguatur. Creditor est, qui *exceptione perpetua summoventi non potest à jure*, seu *actione in rem. Instit. de verbor. signif. 155.*

156. Inq. 2. An leges statuentes ordinem inter creditores servandum obligent in conscientia? R. Affirmative: quia sunt leges justæ præceptivæ, non fundatæ in falsa præsumptione, sed ordi-

natae ad publicum bonum, & communem pacem, & utilitatem. Ideo a Confessariis monendi sunt ignorantes, qui, bona fide, non servantes ordinem juris bona a debitoribus percipiunt, ut juxta regulas possessoris bonæ fidei illa restituant. Sed heu! Quot Confessarios eadem ignorantia laborantes reperies!

157. Igitur summatim loquendo sequens ordo in debitorum solutione est servandus. *Primo*; omnia bona in sua specie apud debitores existentia, non translato in istos dominio, suis dominis tradenda sunt ante solutionem cujuscumque debiti, ut deposita, pignora, commodata; & etiam vendita, quorum pretium solutum non est: quia nec eorum dominium translatum est in emptorem, vel si translatum est, censetur translatum sub conditione pretii solvendi, manendo in pignus pro pretio. *Secundo*, debita certa ante incerta solvenda sunt, quia restitutio debetur creditoribus certis immediate, mediate autem incertis, nempe mediis pauperibus. *Tertio*, inter debita certa ante omnia solvenda sunt expensæ necessariae, & moderatæ pro funere, & pro curatione in infirmitate facta.

158. *Quarto*, inter debita certa præferenda sunt onerosa gratuita. Ideo debita defuncti solvuntur ante legata quantumvis pia, & ante vota, quæ Deo non placent cum præjudicio justitiæ. *Quinto*, intra debita onerosa præferenda sunt hypothecata, aut privilegiata nudis, aut personalibus, quia speciali jure pertinent ad creditores. *Sexto*, inter creditores hypothecarios præferendus est, qui prior est tempore, quia in illis tenet proprie illa regula juris: *Qui prior est tempore, potior est jure.*

159. Verum septem in jure reperimus casus, in quibus quadam hypothecæ aliis prioribus præferuntur, hujusmodi sunt: 1. quando quis mutuum debet pro conservatione rei hypothecatae. 2. Cum quis dedit mutuum pro mercium vectura, vel pro locatione domus, in qua servantur. 3. est hypotheca dotalis, quæ bona mariti devincit uxori, ejus filii, & aliis descendentibus; præferenda est enim dos omnibus hypothecis tactis, licet non expressis anterioribus do-

te,



te, & matrimonio; alias per subsequens matrimonium fraudari possent. 4. Cum pecunia pupilli emitur prædium, aut alia res, quæ hypothecata manet præ omnibus 5. Dum quis alteri dat pecunias mutuo ad emendam rem, quæ devincta manet datori mutui pro solutione pretii. 6. Dum quis contrahit cum fisco. 7. Quando quis dat mutuo pecuniam ad militiam, seu causa belli. Hæc autem hypotheca cedens in bonum commune præfertur aliis etiam expressis, & specialibus. Pro praxi autem omnium leges cujusque Regni, seu Regionis consulendæ sunt. Nos quippe ex doctioribus solum quædam magis obvia, ut Confessarii saltem dubitare sciant, exhibemus.

160. Post creditores hypothecarios solvendum est personalibus; inter hos autem alii sunt *privilegiati*, alii non. Primi generis numerantur creditores expensarum funeris moderati, & infirmitatis: sponsa tradens dotem ante matrimonium: deponentes pecuniam apud publicum depositarium a republica constitutum, nulla percepta usura, & Princeps, seu respublica: inter quos, ille debet præferri, qui potior est causa, licet posterior sit tempore. Inter creditores vero non privilegiatos præferendus est, qui prior est tempore: quia prior creditor jus acquirit in debitorem, ac indirecte in ejus bona, quod per subsequens non eliditur: idemque tenendum est, etiamsi posterior sit pauperior; paupertas enim mea juri tuo minime præjudicare debet. Idipsum teneas de debitis, sive ex contractu; sive ex delicto provenientibus.

161. Si debitor uni ex creditoribus integre voluntarie solvat, tenetur iste aliis suam partem pro rata juris satisfacere, quia, ut diximus, ordo præscriptus obligat in conscientia. Si vero solvat petenti in judicio, apud omnes recte agit. Idem probabilius judicamus respectu petentis extra judicium in præmium ejus majoris vigilantia, ac diligentia. Nequit tamen debitor licite monere amicum, ut prior petat, & sic ei solvat cum aliorum detrimento; hoc enim monitum dolum, fraudem, ac injustitiam involvit. Monitum sanum pro debitoribus sit, quod omni via possibili satagant debitorum solutioni, minorando sumptus, atque ad-

mittendo legata, hæreditatem, aut quamlibet donationem sibi gratuito factam. Alii autem, ab homine supra facultates gravato, nec munera, nec aliquid valoris pro donatione accipient, ne injustitia ipsius in mora solvendi cooperentur.

## PUNCTUM XXIII.

## De tempore, quo restitutio fieri debet.

162. Inq. 1. Quo tempore faciendæ sit restitutio? R. sub distinctione. Nam vel debetur ex contractu, vel ex delicto, aut re accepta. Si ex contractu debetur, faciendæ est tempore in eo assignato. Si vero nullum tempus sit designatum, non peccat graviter omittens restituere, antequam admoneatur, aut res a domino petatur. Nisi ob timorem, impotentiam, aut oblivionem admoneri non possit: vel juramentum additum contractui, quia juramentum vim habet interpellationis, obligatque, ut quantocius debitum reddatur.

163. Nec refert, quod juramentum sequitur naturam actus, cui adhaeret. Verum enim est sequi naturam primordiale actus, non accidentalem: natura autem primordialis contractus postulat, ut, quamprimum possit, impleatur, quando tempus non præfigitur; quod vero mentione indigeat, ex accidenti habet, nempe ex consuetudine usu recepta.

164. Si restitutio faciendæ provenit ex delicto, aut ex re accepta, non per contractum, statim debet fieri, quia dominus privatur usu rei suæ, quod est injustum: Esto enim præceptum restituendi sit affirmativum, implicat negativum, non retinendi rem alienam. Unde eam absque justa causa retinens peccat contra justitiam, & tenetur ad damna emergentia, & lucra cessantia ex ejus retentione subsecuta. Cæterum, ut retentio sit peccatum grave, attendi debet, tum mora retentionis; non enim quælibet brevis morula ad id sufficit: tum facultas, & commoditas debitoris, tum damnum, & reitentia creditoris. Ex quibus deduci valet, quando retentio sit gravis culpa. Nam instans restituendi, non mathematicè, sed moraliter sumendum est; ita ut restitutio fiat statim, ac commode mo-

ra-

raliter possit. D. Th. 2. 2. q. 62. a. 8.

165. Inq. 2. An qui non restituit, sit, non solum in peccato habituali, sed etiam in continuo actuali? R. Affirmative: quia non restituere est privare actualiter dominum usu rei suæ, ut diximus, ergo non solum est in peccato habituali, sed etiam in actuali injustitia; ex ea enim parte, qua restituendi præceptum est negativum, obligat pro semper, ut ait D. Thom. in supplem. q. 6. art. 5. ad 3.

166. Inq. 3. Quot peccata committat debitor culpabiliter non restituens? R. 1. Certum esse apud omnes debitorem morosum tot peccata physice numero diversa committere, quot occasiones restituendi occurrunt, ac eas despicit: quoties a creditore interpellatur, & denegat: quoties repetit actus internos non restituendi, aut externos utendi re aliena, vel illam consumendi, & similibus. Dissident tamen auctores, an ista peccata sint tantum physice diversa, constitutiva unum gravius in æstimatione morali, ac in ordine ad confessionem, admodum quo, decernens hostem occidere tot peccata physice committit, quoties repetit animum, arma sumit, & iter aggreditur; quæ omnia unum morale gravius crimen efficiunt. Difficultas ergo est, quando prædicta peccata judicantur moraliter interrupta, ut debeant in confessione explicari. Circa quam:

167. P. Concina tom. 10. pag. 316. n. 19. censet ad multiplicationem dierum multiplicari peccata; putat enim quolibet integro die interrupti moraliter actus voluntatis. Sed hoc verum non est; alias furta levia nunquam possent moraliter conjungi cum hodiernis, & crastinis. Unde, utpote discontinuata, nunquam obligaret graviter ad sui restitutionem, quod nemo dicere valet. Igitur.

168. R. Tunc censeri moraliter interrupta dicta peccata, debereque explicari in confessione, quando vel adest efficax retractatio voluntatis, & nova repetitio, vel quando discontinuantur, non per breves morulas, ut sunt obliquo, seu inadvententia actualis, comestio, somnum, aut etiam duratio unius, vel alterius diei, sed per durationem, aut interruptionem moraliter diuturnam, ut

Tom. I.

per hebdomadam plus, minusve, quia homo per integram hebdomadam plus minusve ad negotia valde disparata se distrahit, aliaque peragit, per quæ ejus propositum moraliter interruptum, seu distinctum censeatur. Unde ad explicandum pro possibili numerum peccatorum debet poenitens patefacere tempus, quo in omissione restituendi perduravit: hoc, & non amplius exigunt, nec exigere debent sectatores strictioris opinionis, momentes, ne Confessarius sit nimis in supputando peccatorum numero; sufficit enim, quod ex duratione conjiciat eorum multipliciteratem, statumque poenitentis, quando hic distincte eorum numerum non agnoscit. Vide tract. 5. a. n. 156.

169. Inq. 4. An absolvi valeat nollens statim, cum potest, restituere? R. negat. tum, quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Tum, quia retinens deliberate rem alienam est in continuo peccato actuali, ut dictum est, ergo absolvi nequit. Idem teneas de illis, qui partem, & non totum restituere volunt, ex qua dimidiata solutione grave dispendium inferunt creditoribus. Nisi impotentes sint ad totum, tunc enim partem solvere debent. Igitur dum possunt totum, minime per partes, sed integre, esto cum incommodo aliquo, si non superet, quod creditor patitur, restituere obstringendi sunt absque ullo respectu personarum. Aliquando tamen absolvi valent, si sincere promittant, quantocius se restitutos; maxime dum ob aliquam circumstantiam illico non possunt, aut debitum non ex delicto, sed ex contractu provenit. Ille autem, qui ex delicto debet, & monitus prima vice non restituit, cum possit, non est absolvendus, quia nec est dispositus, nec præsumi valet, quod cito restituet.

170. Inq. 5. An sint absolvendi, qui potentes in vita restituere, differunt usque ad mortem: vel qui in mortis articulo hæreditibus, aut aliis restitutionem committunt? R. negat. Tum, quia similes homines indicant se non habere sincerum propositum restituendi, nisi sub conditione quod moriantur. Tum, quia exponunt creditores periculo debita non recuperandi, cum sæpe hæredes, præci-

Vvvvv

pue



pue magnatum, vix, aut nunquam illa persolvant, nisi post longissimum tempus. Unde Confessarius ad audiendam confessionem hujusmodi poenitentis vocatus, ante confessionem præcipiat illi, ut viro probò committat facultatem plenam in scriptis ad solvendum statim omnibus suis debitoribus, si absque nota infamiae feri valet, vel saltem antequam bona ipsius transeant ad hæredes, istis enim hoc onus demandare, nihil aliud est, quam restitutionem, suamque salutem æternam maximo periculo exponere.

## PUNCTUM XXIV.

## De causis a restitutione excusantibus.

171. Inq. 1. Quam sint cause excusantes a restitutione? R. Sunt tres, nempe voluntas domini expressa, seu præsumpta, impotentia physica, seu moralis, atque ignorantia invincibilis; hæc namque quamdiu durat omnino excusat, sicut ab omni præcepto, ita etiam a restitutione. Igitur prima causa per quam debitor excusatur a restitutione sive totali, sive partiali est condonatio creditoris cum duplici conditione, nempe, quod sit spontanea, & libera, & à jure non impedita. Ex defectu hujus secundæ conditionis sunt nullæ condonationes factæ a pupillo, & furioso, & similiter, quæ fiunt circa distributiones canonicas, qui divinis officiis non intersunt, & Episcopis circa ea, quæ accipiunt in visitatione præter sumptus necessarios; tenentur enim duplum restituere. In quo etiam vere laudandum est exemplum hodierni Archiepiscopi Burgensis, qui nihil penitus admittit in visitatione suæ Diocesis, omnes sumptus sibi, suoque comitatui necessarios ex proprio poenu liberent subministrando, ne clerici, aut Ecclesiæ pauperes graventur.

172. Ex defectu primæ conditionis nulla est condonatio ab ebrío, amente, aut ex metu gravi facta, seu impotenti precibus extorta: quia sic non est spontanea, aut omnino libera. Mercatores, & alii debitores, qui publico se subducunt commercio, fugientes ad Ecclesiam, ut a creditoribus remissionem partis obtineant, se componentes in minori sum-

ma, si dolo, aut fraude id peragant, ad integram restitutionem obstricti manent: raro quippe talis compositio, esto creditores in eam convenient, spontanea, nec voluntaria omnino est. Unde vix, aut rarissime liberi manent a restituendo, dum valeant.

173. Inq. 2. An condonatio virtualis, seu præsumpta sufficiat ad excusandum debitorem a restitutione? R. affirm. nam quando ex conjecturis prudenter creditur dominum illam remittere, nihil, invito domino, retinet debitor, ergo liber est a restitutione. Hac ratione excusantur filii accipientes aliqua non magni valoris, & famuli subripientes esculenta, aut poculenta communia ex voluntate præsumpta patris, & domini condonantium, qui licet egre ferant talia furtula quoad modum, non vero quoad substantiam.

174. Quando creditor uni ex debitoribus, qui ob injustam læsionem restituere debent, condonat suam partem; non propterea alii liberantur; nisi ille cui remissio facta est, sit causa principalis damni illati, ut mandans, aut executor voluntarius; in hoc enim casu, remissione huic facta, liberantur omnes alii, qui solum in ejus defectu tenebantur. Nequit tamen creditor remittere uni in gravamen aliorum, qui, ut æque primarii, vel æque secundarii adstringuntur. Unde si Petrus, Paulus, & Joannes 300. aureos furentur a Didaco, & hic remittat Petro suam partem, si Paulus restituere suam nolit, non ob id Joannes tenetur 200. restituere, sed tantum 150. quia ex tribus debitoribus uno nolente, refunditur totum debitum in duos, qui proinde ad 150. tenentur. Si vero postea Paulus restituere suam portionem velit, inter Didacum creditorem, & Joannem 100. refundere debet.

175. Secunda causa a restitutione excusans est impotentia, quia ad impossibile nemo tenetur. Verum non solum impotentia physica excusat, sed etiam moralis, nempe si restituito fieri nequeat absque notabili damno, sive temporali, sive spirituali debitoris: quia debet creditor velle, quod differatur restituito, quæ absque tali dispendio fieri non valet; alias esset irrationabiliter invitus.

176. Objic. nemo ad vitandum proprium damnum bona alterius subripere potest, ergo nec illa retinere, quia idem est retinere, ac subripere. R. semper esse deterius aliena subripere, ac ea retinere, sicut deterius est alium vulnerare, quam vulceratum non mederi. Inspecias obiter hac paritate perbelle confirmari præceptum restituendi idem non esse, ac præceptum non furandi, sed satis distinctum, & affirmativum, uti est præceptum medendi læsum, seu vulneratum.

177. Ex dictis sequitur non teneri restituere illum, dicunt aliqui, qui periculum spirituale, aut temporale salutis suæ, aut suorum inde prudenter timeret: ut si ob id cogeret furari, filiam prostituere, vel alia peccata committere. Sed hoc gratis dicitur a quibusdam: quia nemo cogitur peccare, nisi a sua malitia: restituat, & non peccet. Verum est, quod debitor pecuniæ non tenetur ad restituendum vendere multo vilius agrum, seu domum, aut instrumenta, quibus laborando sustentatur. Debet tamen artem, seu officium suæ conditioni congruum exercere ad solvendum. Pariter esto non teneatur alienare, quæ necessaria sunt, ut vestes, lectum, habitaculum, nec nobilis artem mechanicam exercere, aut se privare omni obsequio famulorum, nec cadere a statu juste acquisito, debet tamen plura minuire in fastu, cibis, vestitu, aut equis, ut quantocius debita satisfaciatur.

178. Inq. 3. An in æquali gravi necessitate creditoris, & debitoris sit facienda restituito? R. affirm. quia in pari causa innocens est preferendus. Unde si creditor a proprio cogeret cadere statu, aut res familiares vilius vendere, teneretur debitor restituere etiam cum simili jactura. In extrema autem necessitate utriusque melior est conditio possidentis, ideoque non tenetur debitor restituere, esto creditor in eadem sit necessitate.

179. Regulariter ob lucrum acquirendum nequit differri restituito: quia non est privandus creditor suis rebus, ut ex eis debitor ditescat. Nihilominus, si ex dilatione fere nullum creditor patitur detrimentum, & debitor notabile compa-

ret emolumentum, differri aliquamdiu valet, ut sic iste sibi, & aliis creditoribus providere possit. Verum quia frequenter spes lucranda debitoribus decipit, unde nec debita solvunt, nec lucra comparant, ideo raro ob spem lucri restituito differenda est. Debitor tenetur ad damnum emergens, & lucrum cessans ex suæ restitutionis dilatione proveniens, esto habeat motivum differendi, quia per suam injustam actionem fuit causa totius damni subsequenti; secus vero debitor ex contractu, nisi sit in mora culpabiliter solvendi, propter oppositam rationem.

180. Inq. 4. An cum detrimento bonorum ordinis superioris teneatur debitor restituere? Ante resolutionem notandum est bona dividi in *spiritualia*, & *temporalia*, & hæc semper sunt inferiora illis. Rursus temporalia subdividuntur in triplicem ordinem *infimum*, *medium*, & *supremum*. *Infimum* locum tenent res emptioni, & venditioni subjectæ: *medium* honor, & fama: *supremum* vita, libertas, salus, virginitas, ac membra. Aliqui honorem, & famam diligunt super ipsam vitam. Igitur:

181. Dicendum est, quod si non potest solvi debitum absque notabili dispendio bonorum superioris ordinis, valet differri, vel in totum prætermitti: quia quilibet velle debet solutionem rei familiaris differri, vel omitti, quando nequit fieri absque notabili dispendio vitæ, salutis, famæ, aut honoris. Si autem cum levi jactura boni superioris peragi valeat restituito, fieri utique debet. Ideo diffamatus ob alia furta restituere debet etiam cum aliqua nova famæ jactura: hæc enim læsio famæ levis est respectu antea diffamati. Aliquando etiam tenetur debitor restituere cum jactura proprii honoris, ut si creditor ob non soluta sibi debita cadere a suo statu cogetur. Sed hoc est per accidens; per se enim nemo tenetur restituere bona inferioris ordinis cum detrimento bonorum ordinis superioris, & nunquam cum jactura vitæ. Nec tenetur aliquis se in servum vendere ad restituenda bona fortunæ.

182. Objic. Ergo, qui per usuras, & furta injuste acquisivit statum altiorem, non tenetur cum jactura sui status, & ho-



honoris restituere, nec cadere ab illo. R. neg. conseq. quia vel habebat in opinione aliorum iuste acquisitum talem statum, vel non? Si hoc secundum, nullum detrimentum famæ patitur in amissione illius, sed potius providus suæ animæ, & justus reputabitur. Si primum: idem bonum nomen potest assequi distribuendo pecunias in usus pios. Si autem restitutio faciendâ sit determinatâ personæ, fieri valet occulte paulatim per Confessarium, aut alium virum probum, ita ut creditoribus satisfaciatur, & suæ famæ non officiat. Unde filii usurariorum, & aliorum, qui per injustitias ad aliorum statum devenerunt, tenentur debita parentum modo dicto restituere, etiam cadendo a statu per illorum injustitias acquisito.

## PUNCTUM XXV.

*De ære alieno gravatis religionem ingredi volentibus.*

183. Inq. 1. An gravatus ære alieno possit ingredi religionem? R. 1. Eum, qui deliberat religionis ingressum, debere prius omnia debita solvere, si possit, quia obligatio justitiæ ad id illum compellit. Si autem creditores sint incerti, debet omnia sua bona distribuere pro rata in pia opera ad compensandum detrimenta illata. Si vero impotens sit, nec adsit spes restituendi, ingredi, & profiteri religionem valet, quia ad impossibile nemo tenetur. Si enim brevi tempore, ut intra biennium in sæculo manens speraret posse restituere, teneretur differre ingressum religionis, ne omitteret obligationem justitiæ; nam tunc casus non est absolute impotens. Si debita proveniant ex contractu gratuito, aut ex liberali promissione, potest statim cedendo bonis suis ingredi religionem, quia promissio gratuita intelligitur sub conditione tacita: nisi ad meliorem statum transiero. Præcipua difficultas est, an, jure naturæ inspecto, teneatur quis multo tempore manere in sæculo, quando spes adest solvendi debita ex delicto, sive ex contractu oneroso? Pro qua:

184. R. 2. negat. quia persona hominis libera est per se, erg. cedendo bo-

nis, si quæ habeat, in favorem creditorum, ad amplius non tenetur, & potest de persona in Dei obsequium, & in utilitatem propriæ salutis æternæ disponere. Ita D. Thom. 2. 2. q. 189. art. 6. ad 3.

185. Objic. 1. Si persona hominis libera est, ergo, pereuntibus bonis debitoris, non tenetur, licet in sæculo maneat, laborare ad satisfaciendum creditoribus. R. neg. conseq. Aliud quippe est, quod persona hominis sit libera ad assumendum statum Deo gratiorem, dum non valet debita solvere, quin ab hoc statu longo tempore privetur: aliud, quod in sæculo manens, non debeat pro viribus laborare ad illa persolvenda, quia ex suppositione mansionis in sæculo, etiam persona, saltim indirecte, devincta est creditoribus in ordine ad solutionem, esto, non in ordine ad status assumptionem: ex adverso, quia persona servi devincta est per se domino, nequit religionem ingredi absque ejus consensu: nec filius cum præjudicio parentum indigentium ejus operis, quia ex ortu, seu origine tenentur parentibus subvenire.

186. Objic. 2. Solutio debitoris est de jure naturali, & divino, ingressus religionis est de consilio; sed opera consilii postponenda sunt operibus de præcepto, erg. R. opera consilii postponenda esse operibus de præcepto, quando hæc fieri valent absque notabili detrimento propriæ libertatis, & salutis animæ. Si vero apponi nequeant absque tali dispendio, minime obligant: non enim obligat restitutio bonorum ordinis inferioris cum gravi dispendio bonorum ordinis superioris, ut ex communi supra diximus.

187. Inq. 2. Quid sit dispositum jure canonico circa illos, qui gravati ære alieno, religionem ingredi volunt? R. quod Sixtus V. motu proprio anno 1585. vetuit, ne admittantur ad religionem illi, qui ingentibus debitis gravati, nequeunt cito satisfacere, possunt vero in sæculo manentes; taliumque professionem irritam declaravit. Quod Decretum non comprehendit moniales, nec eos quorum bona sufficiunt ad debita persolvenda, nec loquitur de debitis non magni momenti, aut mere gratuitis, nec denique

de

de contractis absque culpa. Clemens vero VIII. alio motu proprio revocavit præfatum decretum circa nullitatem professionis, quoad cetera illud relinquens in suo robore. Apud nos nullus admittitur debitis gravatus, aut rationem de re aliqua constitutus, ut præscribitur a nostris restitutionibus p. 2. cap. 2. num. 9. & 10.

## PUNCTUM XXVI.

*De compensatione.*

188. Inq. 1. Quid sit compensatio? R. Compensationem esse duplicem: nempe propriam, & impropriam. Propria est debiti, & crediti inter se invicem contributio, seu qua unum debitum alio debito extinguitur: ut quando tu mihi debes centum, & ego tibi totidem debeo. Hæc duo debita mutua compensatione remitti, etiam non interpellata Judicis auctoritate, asserunt omnes. Compensatio impropria adest, quando debitum solum datur ex parte unius, ut, si Petrus mihi debeat centum, nollensque ea solvere, occulte accipio centum: quæ potius recuperatio debiti, quam compensatio nuncupari valet. Sed quia eodem nomine una, & altera significatur, & de impropria sunt præcipue difficultates, ideo de ea nomine compensationis in hoc puncto agemus.

189. Inq. 2. An compensatio occulta aliquando sit licita? R. esse licitam, servatis quibusdam conditionibus: quia licitum est recuperare rem propriam occulte, quando aliter non potest, ut tenet communis Theologorum sententia, quam mordacitas unius, vel alterius Neoterici labefactare non valet. Imo ipsæ leges civiles videntur concedere compensationem ei, qui in pignus sui crediti habet rem, quam retinere potest pro solutione, etiam ante alios creditores. Cur ergo si absolute illam habeat, & non possit aliter suum creditum recuperare, non valebit eam retinere pro solutione, saltem sine præjudicio anteriorum creditorum? Nonne justitia clamat pro uniuscujusque jure illæso servando? Ergo si aliter servari non valeat, licita est occulta compensatio, debitis conditionibus

Tom. I.

appositis.

190. Inq. 3. Quot conditiones servari debeant pro licita compensatione? R. Sex conditiones esse servandas: Prima, quod debitum sit certum, & liquidum: unde excluditur compensatio cum opinione probabili, aut etiam probabiliori; requiritur namque debitum esse certum, per quod etiam excluditur debitum futurum; hoc enim nec certum, nec liquidum est. Secunda, quod solum fiat de bonis propriis debitoris: unde non licet accipere rem alienam apud debitorem existentem, sive in pignus, commodatum, aut depositum. Idem est de re, quam debitor apud te deposuit, ex cap. Bona fides, de deposit. Nec debitum ex deposito cum alio debito, etiam ex deposito compensari valet. Ex eodem cap. & aliis legibus, tum communibus, tum Castellæ. Tertia, quod fiat absque detrimento debitoris; ne plus accipias, quam tibi debetur; alias non servaretur æqualitas a justitia postulata. Qua ratione monendus est debitor caute, ne tibi, aut tuo hæredi iterum solvat, neque in mala fide amplius permaneat. Quarta, ut fiat etiam absque præjudicio terti, ne alteri imputetur, quod ablatum est, neque fiat cum detrimento aliorum creditorum anteriorum, juxta dicta de ordine in restitutione servando. Item, ne fiat de bonis a debitore depositis, commodatis, seu pignoris apud alium, cui non est auferendum jus illis utendi, neque cogendus forte eadem restituere. Quinta, quod debitum sit ex justitia; debita enim ex sola caritate, aut aliis virtutibus minime valent occulte compensari, nam compensatio locum non habet, ubi obligatio justitiæ non adest.

191. Sexta, quod fiat auctoritate Judicis, quando ordo juris servari possit. Verum si absque magnis expensis, aut notabili incommodo Judex adiri non valet, tunc licita est recuperatio debiti per compensationem occultam: quidquid dicat Concina, nolens eam admittere prætermisso ordine juris, etiamsi absque magnis expensis id in judicio obtineri non possit. Unde juxta doctrinam Concinae, si Petrus debeat tibi centum, & in eorum recuperatione per Judicem duplum es impensurus, cogaris, vel amittere centum,

XXXX



tum, vel insumere ducenta.

192. Sed communi sententiæ subscribendo dicimus, quod dum debitum est certum, servatis cæteris conditionibus, licita est compensatio absque iudicis interpellatione, si hæc haberi non valeat sine expensis maioribus, aut æqualibus debito, vel quando debitum probari non potest. Verum quando debita sunt valoris notabilis, & recuperari valent medio iudice per expensas litibus communes, & ordinarias, sexta conditio sub gravi observanda est. Ita, nec singuli erunt iudices in suis causis, nec Tribunalia de medio tolluntur, ut quidam gratis clamitat.

ПУКЕТУМ XXVII.

Alia dubia circa compensationem.

193. Inq. 1. An, qui utitur compensatione sine autoritate iudicis, quam commode posset interpellare, teneatur ad restitutionem? R. neg. quia non peccat contra iustitiam commutativam, sed contra legalem, usurpando non rem alienam, sed suæ rei iudicium, ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 3.

194. Inq. 2. An qui rem accepit in compensationem, possit jurare se nihil accepisse, intelligendo, quod sibi non deberetur? R. neg. Quia subauditio hæc est restrictio mere interna. Ob eandem rationem accipiens aliquid ad suam sustentationem jurare nequit, se nihil accepisse, ne a creditoribus spoliatur. Ideo si excommunicatio lata fuerit contra talia accipientes, incurritur ab illis, qui ad se compensandum ea surripiunt.

195. Inq. 3. An famuli, & famulæ possint uti compensatione occulta, eo quod sibi solvitur salarium suo labori inferius? R. quod si revera non solvitur a domino salarium integrum consuetum, vel in quo ab initio conventum fuit, non sunt peioris conditionis, ac cæteri, quibus licet compensatio de debito certo servatis aliis conditionibus. Verum, si libere cum domino paciscantur pro tanto stipendio tametsi inferiori eo, quod sibi debetur, nequeunt aliquid subripere ad amplius recuperandum, ut diximus tract. xv. n. 68. ubi exponitur propositio circa

famulorum compensationem damnata ab Innocent. XI.

196. Inq. 4. An sartores, sive magistri, sive famuli valeant subripere fragmenta vestium in compensationem majoris stipendii, aut exiguæ mercedis? R. Nullatenus esse permitendam huiusmodi compensationem, sed penitus relegandam sive in magistris, sive in famulis; ne cupiditas insatiabilis ultra justa confiniâ augeat sartorum stipendia. Imo, quo frequentior est culpa, eo arctius a Confessariis est repellenda, improbanda, ac cohibenda. Si autem certum sit eis non solvi salarium justum, idem de eis teneas, ac de famulis, caute tamen.

197. Inq. 5. An debita ex iustitia compensentur per dona, aut obsequia gratuita, ut si ex iustitia debeas centum Petro, & eidem dono gratuito totidem tribuas, liber maneat a solutione? R. neg. quia debitum ex iustitia postulat solutionem ex iustitia, donum autem, favor, aut gratia sunt extra omnes limites iustitiæ. Verum, si quando centum donas, habeas voluntatem satisfaciendi obligationi iustitiæ, si cui teneris, vere satisfacis, propter animum solvendi prius debita ex iustitia.

198. Inq. 6. An circa famæ restitutionem sit licita compensatio? R. Quod diffamatus ab alio nullatenus potest diffamare eum ad se compensandum, sicut vulneratus ab alio, minime ad se compensandum valet alium vulnerare. Cæterum quando duo mutuo se infamant, si ille, qui prius diffamavit, nolit famam restituere, poterit æque diffamatus differre restitutionem, ne ea indirecte confirmet propriam infamiam. Similiter falso diffamatus ab alio potest aliquid ejus peccatum verum occultum detegere, quantum necessarium sit ad labefactandum ejus testimonium, quia hoc non est compensare una infamia aliam; sed defendere famam propriam. Nemini licet clam subripere pecunias pro compensatione famæ sibi ablata, nec, ut supra diximus, cum opinione etiam probabiliori ad compensationem enim requiritur, quod res, quæ accipitur, certo debeatur ex iustitia.

199. Pro coronide observa, quod dum adstruimus compensationem licitam, nulli

li eam suademus. Nam dicere quid fieri valeat, non est suadere, ut quisque id efficiat. P. Concina lib. 9. in Decal. cap. 6. fuso calamo de more improbat compensationem, quia periculis plena est, & vix ejus conditiones observantur. Sed dicat ipse, cur admittit defensionem propriæ vitæ, etiam cum occisione injusti invasoris, sex adjectis conditionibus, esto vix servari valeant in conflictu invasionis? Porro plus periculi præfert occisio invasoris, quam compensatio occulta, erg. qui illam admittit, non coherenter rejicit istam, ex eo, quod periculis sit exposita.

200. Nota obiter, Concina admittit occisionem injuri invasoris, etiam Regis; quod nos cum doctissimo Soto omnino reprobamus; Rex enim, aut supremus Princeps est toti Regno valde utilis, & necessarius, licet aliquando forte deficiat a iustitia; sequereturque ex ejus occisione maxima perturbatio, cum qua non licet resistere Principibus etiam malis, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 4. in corp. quem nequitur pro occisione Regis invasoris citat Concina lib. 7. in Decal. cap. 5. §. 2. n. 1. nam loco laudato, nec alibi loquitur D. Thom. de Rege privata autoritate invadente. Mirum est, quod nolit admittit compensationem privatam circa debita liquida, & certa, clamans esse perniciosam Principibus, & quod admittat occisionem Principis, & Regis invasoris, esto fiat ab infimo plebis. Nos vero hanc penitus reprobamus, ut perniciosam Principibus; illam autem cum communi sententia, debitis conditionibus, ut consentaneam aequitati naturali asserimus. Angelicus loco laudato agit non de Rege invasore, sed de reo injuste condemnato ad mortem, de quo ait, posse resistere Principibus, seclusa gravi perturbatione: quod toto cælo distat a Regis occisione. Principi suo infidelis est subditus, qui pro ejus vitæ conservanda propriam vitam non exponit; quanto igitur infidelior erit, qui ab ipso eam eripit? Quamvis itaque Rex, aut Princeps supremus sit in regimine tyrannus, vel arripus aliqua passione propria hominis invadat, nullo modo interfici valet ab invasso; esto huic liceat defensio pro-

pria siue tanti invasoris occisione.

CAPUT II.

De restitutione in particulari.

ПУКЕТУМ I.

De restitutione propter homicidium faciendam.

201. Inq. 1. An aliquid sit restituendum pro vita, aut membris ablatis? Pro resolutione nota duplex posse dari damnum in occisione, aut mutilatione. Aliud personale ipsius occisi, aut mutilati; aliud temporale, vel hæredum utriusque, vel saltem ejusdem mutilati. Secundum puncto sequenti, nunc primum est discutendum, an nimirum aliquid sit restituendum pro ipsa occisione, aut mutilatione. Circa quam difficultatem duplex militat sententia: prima affirmat, secunda negat: utraque sua fruat probabilitate; utriusque vero probabilitatis rationem portentosam tradit Concina, ait enim, quia nulla est evidens. Portentosam dicimus rationem, quia a sæculo non est auditum, opinionem aliquam esse evidentem.

202. Sed quidquid sit de hoc, utraque sententia in idem tandem convenit, solum namque discrepat in eo, quod prima tenet esse aliquid restituendum ex iustitia, secunda ex quadam æquitate naturali, decentia, aut congruitate. Nos igitur propter reverentiam D. Th. cuius auctoritatem statim producimus, priori subscribere debemus. Ideo:

203. Dicendum est, quod occisor, aut mutilator injustus debet aliquid ex iustitia restituere arbitrio viri prudentis pro ipsa occisione, aut mutilatione, tum ipsi damnificato, tum ejus hæredibus, si eo indigeant. Si enim nihil indigeant, aut vellet, nihil est restituendum: ut si constaret occisum in peccato lethali decessisse, nullumque hæredem reliquisse. Hanc sententiam expresse videtur tenere D. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. dicens: Quando id quod est ablatum, non est restituibile per aliud æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta cum aliquis alicui abstulit membrum,